



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. IV. De Consensu simpliciter clandestino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

Quamvis verum sit, quod in foro externo solum contractus ex gravi metu celebrati rescindi possint; Sicut in foro externo solum datur actio, quando læsio est ultra dimidium, quamvis in foro conscientie detur obligatio restitutionis, etiamsi læsio sit infra dimidium.

VIII. Quæritur ultimo; An matrimonium ratione metus invalidum, fiat deinde validum per copulam subsequutam?

Respondeo cum Con., Sanch., Henr., quod si copula habeatur animo fornicario, non reddat matrimonium validum; si vero fiat affectu maritali, & non sit metu extorta, matrimonium sit validum; cum ponatur tunc consensus plene liber, qui desiderabatur. Post Tridentinum tamen si impedimentum metus erat occultum, non debet matrimonium revalidari coram Parocho, & testibus, sed sufficienter revalidatur per copulam inter conjuges habitam, sicut revalidatur matrimonium, quod propter aliud impedimentum occultum fuit invalidum. Si tamen impedimentum non erat occultum, sed probari poterit in foro externo, matrimonium non potest revalidari, nisi coram Parocho, & testibus, ut dicemus art. seq.

Difficultas etiam est; An, si copula metu etiam extorqueatur, revalidet contractum meticulousum invalidum?

Respondeo cum citatis Doctoribus contra Paludan., quod probabiliter non revalidet, etiamsi fiat affectu maritali. Ratio est, quia deficiente consensu requisito ad valorem contractus, impossibile est, ut contractus sit validus; sed accedente novo metu compellente ad copulam, deficit consensus plene liber requisitus ad valorem matrimonii; ergo matrimonium non est validum; Unde iste ta-

Pars VII.

lis, qui metum patitur, deberet mori potius, quam consummare, si non potest cum plena libertate, & nullo habito respectu ad metum, consentire ad matrimonium. Ex quo etiam sequitur, quod qui ob gravem metum matrimonium contraxit, & consummavit, possit postea resilire, quia consummatio illa fuit fornicaria.

Docent tamen Doctores, contrariam sententiam non esse improbabilem, quod scilicet revalidatur matrimonium per copulam, quamvis metu extortam. Unde in gravi necessitate posset quis tali opinione uti, ne peccet consummando matrimonium.

ARTICULUS IV.

De Consensu simpliciter clandestino.

- I. Recensentur decem conditiones a Tridentino requisita ad solemnitatem Matrimonii.
- II. In nulla necessitate valide contrahitur matrimonium sine Parocho, & testibus; sed quid si Parochus nullatenus haberi possit in locis Infidelium?
- III. Lex ista Tridentini non patitur Episcopalem, quia inducit formam substantialem contractus. Et idem dicendum de variis similibus legibus.
- IV. Hac, & similibus legibus obligantur etiam ignorantes illas invincibiliter.
- V. In hac lege nequit Episcopus dispensare; quamvis hic possit, urgente necessitate, dispensare aliquando in nonnullis impedimentis dirimentibus.
- VI. Non obligat lex ista, ubi Tridentinum non est receptum; nec in Provinciis Infidelium. Ex quo non sequitur, quod in iis locis non debeant alia leges Ecclesiastica servari.
- VII. Quando revalidandum est matrimo-

M

mo-

monium propter impedimentum omnino occultum (quod scilicet per duos testes probari non potest) non est opus Parocho, & testibus; non quia cessat finis legis, sed quia talis casus a lege non comprehenditur. At matrimonium sub conditione celebratum coram Parocho, & testibus, num debeat coram iisdem, purificata conditione, iterum contrahi?

VIII. Quinam debeat esse Parochus, & quinam testes?

IX. Etiam in aliena diocesi potest proprius Parochus, licet sit excommunicatus vitandus, matrimonio assistere, ac dare Sacerdoti licentiam ad assistendum.

X. Num sit validum Matrimonium, si Sacerdos assistens licentiam per metum, aut per dolum extorserit?

XI. Quid si matrimonio assistat Sacerdos post licentiam obtentam, sed antequam id resciverit?

XII. Quid si Parochus sit intrusus, & errore tantum communi, sive titulo colorato reputetur Parochus?

XIII. Non requiritur, ut testes sint omni exceptione majores.

XIV. Quinam consensus requiritur, si privatim revalidandum sit matrimonium? Et an illius nullitas utriusque conjugii debeat esse nota?

I. Dicitur matrimonium simpliciter clandestinum, quod scilicet non fit coram Parocho, & testibus; Dicitur vero clandestinum secundum quid, quod fit absque denunciationibus. Hic agendum de clandestino simpliciter, deinde de secundo quid clandestino.

Notandum interim, Ad solemnitatem matrimonii decem conditiones requiri a Trident. sess. 24. ; Primo, quod saltem triduo ante consummationem matrimonii suscipiant Sacra-

mentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ conjuges; quamvis hoc sit consilium, non præceptum: Secundo, ut cum duobus, vel tribus testibus assistat contractui matrimoniali Parochus, vel alius Sacerdos de Parochi, vel Ordinarii licentia: Tertio, ut coram illis exprimant consensum, ita ut possint de eo testificari: Quarto, ut non cohabitent, antequam benedictionem Ecclesiæ recipiant; hoc autem præcipi sub mortali putat Palud.; sub veniali Cajet.; Et Sor., qui Tridentino interfuit, putat esse consilium apud Perez disp. 39. sect. 1. : Quinto, ut tribus diebus festivis continuis denuncientur inter missarum solemnias, qui contrahere debent, ut impedimenta, si forte sint, revelentur: Sexto, ut utrumque contrahentem roget Parochus, & intelligat utriusque consensum: Septimo, ut eo intellectu dicat; Ego vos conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; quæ, aut similia verba sunt solum necessaria necessitate præcepti, non Sacramenti: Octavo, si probabilis suspicio sit, quod matrimonium sit malitiose impediendum, vel præmittatur una tantum denunciatio, vel denunciations fiant post matrimonium ratum ante consummationem, nisi Ordinarius judicaverit esse remittendas: Nono, ut Parochus in libro diligenter annotet nomina conjugum, ac testium, diem, ac locum matrimonii: Decimo, ut nullus Sacerdos sine licentia Parochi eos jungat sub pœna suspensionis.

II. Quæritur nunc primo; An in aliquo casu licitum, & validum sit matrimonium simpliciter clandestinum; Puta, si in articulo mortis sit præcisa necessitas contrahendi cum concubina in bonum prolis per matrimonium legitimandæ, & absit omnino Parochus; Vel si lex Tridentini irritantis matrimonium clandestinum ignoretur invincibiliter; Vel si matrimonium cele-

bra-

bratum coram Parocho cum impedimento occulto sit deinde revalidandum?

Respondeo cum communi contra Veracru, Vegam, & Sor. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 234, & part. 5. tract. 3. resol. 98., matrimonium in quacumque necessitate contractum absque Parocho esse simpliciter invalidum; quamvis fiat coram sexcentis testibus. Ratio est; quia Trident. loc. laud. absolute, & sine ulla exceptione irritat huiusmodi matrimonia, & reddit personas inhabiles ad sic contrahendum; Sicut redduntur inhabiles ad matrimonium consanguinei usque ad quartum gradum: Quare sicut in nullo casu validum est matrimonium inter consanguineos absque dispensatione, quantumcumque urgeat necessitas; ita nec matrimonium absque Parocho, & testibus.

Id autem videtur intelligendum, si Parochus haberi possit, ut docent Belarm., Dian., Tambur., Arfdekin, & alii apud Croix num. 178. Nam ubi Parochus haberi non potest, ut apud Turcas, & Infideles, tunc satis est, quod duo testes adhibeantur, & ad summum matrimonium celebretur coram Magistratu Civili; ut non semel S. Congregatio respondit; Idque verum est, quamvis Christiani non sint perpetuo apud Infideles remansuri, sed spem habeant, quod sint in Patriam reversuri; Immo cum in locis Infidelium lex Tridentini recepta non sit, non datur obligatio ibi illam servandi, ut dicemus num. 6.

III. Inferitur hinc primo, quare leges omnes humanae, & etiam positivae divinae recipere possint aliquando Epichejam, seu suavam interpretationem, non tamen lex ista? Ratio est, quia talis lex inducit formam, & solemnitatem substantialem contractus, inhabilitando personas ad contrahendum; ergo Epichejam pati non pot-

est. Quod pariter dicendum de lege inhabilitante consanguineos ad matrimonium contrahendum. Talis est etiam lex annullans professionem ante decimum sextum annum; aut ante annum Novitiatus completum; Necnon lex irritans collationem beneficiorum per simoniam confidentiam factam: Et in iure civili lex inhabilitans prodigum ad contrahendum; Et lex declarans contractus pupillorum sine certa solemnitate factos, esse nullos; Lex etiam de solemnitate testamentorum, &c. Ratio itaque a priori est; quia tales leges inducunt novam formam substantialem contractus; ergo si ea desit, quacumque de causa desit, contractus est nullus; quia nihil consistere potest sine sua forma substantiali: Quamvis juxta laudatas responsiones S. Congregationis, in locis, ubi Parochus haberi nequit, sufficiat, duos testes adhibere, eo quod forma substantialis relate ad Parochum, aut Episcopum ibi servari non possit.

IV. Inferitur secundo contra nonnullos apud Sanch. lib. 3. disp. 17., legem hanc irritantem matrimonium clandestinum obligare etiam ignorantes invincibiliter illam. Ratio est, quia ignorantia legis solum excusat a culpa, & consequenter a poena; non tamen reddit validum id, quod per legem ignoratam est irritum: Sic ignorantia legis irritantis professionem ante decimum sextum annum non reddit validam talem professionem; Et ignorantia legis imponentis irregularitatem ex defectu, non facit, ut qui talem defectum contraxit ignorando legem illam, possit deinde licite Ordines suscipere; quia est lex inhabilitans defectuosos ad Sacros Ordines. Illa solum lex, quae irritat aliquid in poenam, non obligat invincibiliter ignorantes; quia cessante per ignorantiam culpa, cessare debet & poena: Talis est lex irritans acquisitionem fructuum

beneficii, non recitato officio; qui enim ex oblivione officium non recitat, facit fructus suos; Talis est aliquando juxta multorum sententiam lex de casuum reservatione: Contra vero; quando lex irritat aliquid ob bonum publicum, etiam ignorantes obligat juxta sensum explicatum.

V. Infertur tertio, non posse Episcopum, urgente necessitate, in tali lege dispensare, ut scilicet possit matrimonium valide contrahi sine Parocho. Ratio est, quia Tridentinum id constituit tanquam formam substantialem, & declaravit personas esse omnino inhábiles ad sic contrahendum; Ubi notanda est illa dictio, Omnino, quæ excludit omnem gratiam, & dispensationem: Contra tamen potest in multorum sententia apud Perez disp. 46. sect. 6. dispensare Episcopus, urgente necessitate, in impedimentis dirimentibus matrimonium. Ratio est, quia ista solent a Pontifice dispensari, & universim, urgente necessitate, potest Episcopus dispensare in iis, in quibus potest, & solet dispensare Pontifex, ut dicitur cum de legibus.

VI. Infertur quarto, quod ubi Tridentinum non est receptum, ea lex non obliget, atque adeo matrimonia clandestina ibi sint valida (quamvis graviter illicita); sicut etiam in Provinciis Infidelium. Ratio est, tum quia decretum Tridentini in iis locis non habet vim ex defectu publicationis ab ipso Tridentino requisita ad hoc, ut obliget; tum etiam quia universim Doctores in materia de legibus docent, legem non obligare, nisi sit promulgata, & acceptata; Et solum ab Alex. VII. damnata est illa prop. 28. dicens: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

Hinc fit, quod captivi Christiani valide matrimonium contrahant apud Infideles sine Parocho, & testibus;

necnon Mercatores, qui versantur in locis, ubi Tridentinum non est receptum. Ita Sanch., Hurt., Perez. Ratio est, quia contrahentes quoad leges contractuum fortiuntur forum loci, in quo contrahunt: ergo si in locis Infidelium, aut aliis non viget lex ista Tridentini, ad illam non obligantur fideles, dum contrahunt matrimonium. Idque verum est, etiam in iis locis domicilium non fixerint, ut docent Doctores citati contra Ledesma, & Henr. apud Perez disp. 39. Hæc de causa Sacerdos latinus transiens per Græciam potest celebrare in fermentato juxta morem Græcorum, ut notat idem Bonac., & Neapolitanus potest cibis paschalibus vesci primis quatuor diebus Quadragesimæ; si eo tempore Mediolani commoretur, ubi ea est consuetudo. Et universim quoties in aliquo loco sine culpa non servantur leges juris communis, potest quilibet accedere illuc eo fine, ut talibus legibus non obstringatur.

Contra vero; ut notat Leander, qui habitat, ubi Tridentinum non est promulgatum, puta in Svecia, Dania, Pomerania (nam in Gallia quoad legem Claustrinitatis esse receptum Julius regio jam ab anno 1602. docet Lessius apud Croix de Matrimonio n. 767.) si transiens per locum, ubi Tridentinum est receptum, vult matrimonium contrahere, debet illud contrahere coram Parocho; quia contractus celebrari debent juxta leges loci, in quo fiunt, ex leg. *Si fundus ff. de Evictione*: Et eodem modo si Mediolanensis Ver. gr. transiret Neapoli primis diebus Quadragesimæ, deberet abstinere a cibis Paschalibus, quia debet servare leges universalis Ecclesiæ, quoties ex legitima contraria consuetudine loci non excusatur.

Neque dicas, quod si fideles non tenentur contrahere coram Parocho juxta legem Tridentini, dum sunt in lo-

locis Infidelium, necnon ubi Tridentinum non viget inter fideles, sequetur, neque teneri legibus jejunii, auditionis sacri, & aliis legibus Ecclesiasticis, dum sunt in locis Infidelium.

Nego enim sequelam. Ratio est, quia istæ leges Ecclesiasticæ, ut obligent ubique omnes fideles, satis est, quod sint publicatæ in Curia Romana, vel in alia qualibet Diœcesi fidelium: Contra vero; lex Tridentini, ut obliget, requirit ex ipsa dispositione ejusdem Tridentini, ut diximus, specialem publicationem in eo loco, ubi matrimonium celebratur. Unde cum inter Infideles ea Tridentini lex non sit publicata, in iis locis nemo tenetur legem illam servare: Quamvis fideles in iis locis commorantes alias antiquas leges Ecclesiasticas servare teneantur, videlicet adhibere testes, quibus conjugium probari possit, & instrumenta publica de eo conficere.

VII. Inferitur ultimo, quod si matrimonium celebratum coram Parocho, & testibus fuit nullum ob occultum aliquod impedimentum, puta, ob affinitatem, satis sit ad illud revolvendum, quod, sublato impedimento, contrahentes inter se privatim renovent consensum. (Esto verum sit, quod si impedimentum erat publicum, aut probari poterat plene, scilicet per duos testes, omni exceptione majores, quamvis nunquam sit probandum, debeat iterum matrimonium contrahi coram Parocho, & testibus). Ita Sanch. lib. 2. disp. 37., Perez, Bonac., Hurt., Navar. contra Pont., Ledesim., Guttier. Ratio est, quia lex irritans matrimonium clandestinum non comprehendit hunc casum; nulla enim lex comprehendit casum, in quo cessat ratio, & finis legis; sed finis hujus legis est, ne conjuges possint rescindere contractum matrimonialems absque eo, quod Ecclesia pos-

sit illis resistere; qui finis cessat in casu nostro, ut patet; ergo lex ista non se extendit ad casum adductum.

Hic autem subtiliter notandum cum Sanch., aliud esse, quod lex non obliget in casu, quem non comprehendit, eo quod cesset finis legis; aliud vero esse, quod lex in casu, quem comprehendit, cesset obligare, eo quod cesset finis legis: Quod hoc exemplo declarat Sanch.: Fingamus, Superiorem præcipere Religiosis, ne adeant locum, ubi operarii laborant, idque eo fine, ne loquelis illos impediant; Si Religiosi adeant eum locum, & taceant, cessat quidem in tali casu finis legis; sed lex talem casum vere comprehendit; Et ideo Religiosi illum locum adeuntes, quamvis taceant, adhuc sunt inobedientes; nisi Episcopus aliud suadeat: Contra vero, si Religiosi adeant eum locum die festivo, quando non sunt ibi operarii laborantes, lex talem casum non comprehendit. Unde Religiosi eo adeuntes, imo etiam ibi loquentes, legem illam non violant. Idem dicas in re nostra: Si matrimonium celebraretur aliquando coram centum testibus, cessaret quidem finis legis exigentis Parochum; At non cessat in tali casu lex; quia lex exigens aliquid, tamquam formam substantialem, non cessat, quando cessat in aliquo casu particulari finis legis; unde matrimonium coram centum testibus, sed non coram Parocho celebratum, est invalidum: Contra tamen; si matrimonium sit celebratum coram Parocho, & testibus invalide propter occultum aliquod impedimentum, quando deinde celebratur, sublato impedimento, non requiritur assensus Parochi, & testium, ut valide celebretur; non quia cessat finis legis comprehendentis hunc casum, sed quia lex ista talem casum non comprehendit.

Si tamen coram Parocho, & testibus.

stibus celebratum sit matrimonium sub conditione aliqua, ea purificata, probabilius est, quod debeat iterum coram Parocho, & testibus matrimonium contrahi; aut saltem, quod illi certiores fiant de conditione jam purificata, ut possint de ea testari, prout dicemus art. 6. num. 4.

VIII. Quaritur secundo; Quinam Parochus, & quinam testes debeant matrimonio assistere, ut illud non dicatur clandestinum, sed publicum, ac solemne?

Respondeo, quod ad validitatem, & publicitatem matrimonii requiratur assistentia proprii Parochi, aut Ordinarii, aut assistentia alterius Sacerdotis de proprii Parochi, aut Ordinarii licentia; necnon assistentia duorum, vel trium testium habentium usum rationis, etiamsi non sint omni exceptione majores; ut communiter docent cum Sanch. disp. 41. contra nonnullos, qui volunt, testes debere esse omni exceptione majores, ut dicemus in calce hujus articuli.

Infertur hinc primo, posse etiam assistere, vel dare licentiam alteri Sacerdoti assistendi matrimonio, non solum Vicarium Capitularem, sed etiam Vicarium Generalem (quia facit cum Ordinario unum Tribunal) non vero Vicarium foraneum: Ratio est, tum quia universim, quod conceditur in jure Episcopo, conceditur pariter ejus Vicario Generali, nisi expresse excludatur; tum etiam, quia Vicarius Generalis, non vero foraneus, venit nomine Ordinarii, seu habentis ordinariam jurisdictionem; ut communiter docent contra Ledesm. apud Perez disp. 40. sect. 1: Archiepiscopus vero in Diocesi Episcopi suffraganei solum habet ordinariam jurisdictionem, dum actu visitat ex *cap. ult. de Censibus in 6.*; vel in causis ad ipsum per appellationem devolutis; Ideo tunc solum potest assistere matrimonio, aut

alteri Sacerdoti dare licentiam assistendi.

Sciendum tamen ex communi Theologorum doctrina, & ex declaratione Cardinalium, Parochum, vel Episcopum solius originis non censi relata ad hunc effectum proprium Parochum, aut Episcopum. Quare dicitur proprius Parochus, vel Episcopus solum ille, in cujus Parochia, vel Diocesi alter Sponsus habet domicilium, vel quasi domicilium; hoc est, vel habitat cum animo ibi permanendi perpetuo (etiamsi per horam dumtaxat ibi habitaverit, ut advertit Perez disp. 40. sect. 2.) vel habitat animo permanendi per majorem partem anni; ita ut pariter primo die, quo incipit ibi habitare cum tali intentione ibi habitandi per majorem anni partem, quasi domicilium acquirat, & eo ipso primo die possit ibi matrimonium contrahere; ut pariter notat Croix de matrim. num. 722. Et sane si domicilium, aut quasi domicilium satis est, ut possit quis alicubi suscipere omnia Sacramenta (excepto Sacramento Ordinis, & tonsura, ad qua non satis est, quasi domicilium; sed requiritur, vel domicilium, vel origo, vel beneficium eo modo, quo exprimitur in Bulla Innoc. XII., qua incipit, *Speculatores.*) Et ut possit ibi sepelli, & ad leges illius loci astringi; consequenter id etiam satis erit, ut possit coram Parocho illius loci matrimonium contrahere.

Quod si quis aequaliter habitat in duplici Parochia, Verbi gratia, astate in una, & hyeme in altera, uterque dicitur proprius Parochus; ut communiter docent cum Sanch. contra Navar. existimantem, requiri assistentiam illius Parochi, in cujus Parochia matrimonium contrahitur.

Parochus autem proprius Vagabundorum relate ad assistendum matrimonio, & ad audiendas confessiones.

dicis

dicatur is, in cuius Parochia actu habitant: Præcipit tamen Tridentinum, ne Parochi eos jungant, nisi diligenter prius inquisierint de eorum statu, & rem ad Ordinarium detulerint, ejusque licentiam obtinuerint: quæ si Parochus non præstet, peccat graviter, sed matrimonium, cui assistit, est validum.

IX. Infertur secundo, Parochum posse valide, & licite assistere matrimonio, etiam in aliena Parochia, & Diocesi; sicut etiam dare licentiam assistendi. Ita communiter contra Navar. apud Sanch. lib. 3. disp. 19. Ratio est, tum quia Tridentinum exigit solum assistentiam proprii Parochi, non vero assistentiam proprii Parochi in propria Parochia; tum etiam quia soli actus jurisdictionis contentiosæ, & litigiosæ non possunt exerceri proprio territorio; Assistere autem matrimonio simpliciter non est actus jurisdictionis, ut patet; quia nullus actus Ordinis, aut jurisdictionis potest fieri ab invito, & contrariam intentionem habente ex leg. *Non omnis ff. de rebus creditis*; at assistentia Parochi omnino inviti, & contrariam intentionem habentis sufficit ad valorem matrimonii, ut omnes docent; ergo talis assistentia non est actus jurisdictionis. Præterea dare licentiam assistendi matrimonio alteri Sacerdoti, vel non est proprie actus jurisdictionis, ut docet Navar.; quia Parochum dare hanc licentiam nihil aliud est, quam substituere sibi aliquem idoneum testem, potestate sibi ad hoc facta a Concilio, quod non est actus jurisdictionis: Vel si est actus jurisdictionis, ut docet Con. disp. 27. dub. 2., eo quod dare licentiam videatur esse actus superioritatis, certe non est actus jurisdictionis contentiosæ, sed gratiosæ, & voluntariæ, & consequenter exerceri potest extra locum propriæ jurisdictionis,

seu extra proprium territorium ex communi Doctorum doctrina.

Infertur tertio, Parochum, etiam non Sacerdotem, posse valide, & licite assistere, vel dare licentiam Sacerdoti assistendi matrimonio; ut communiter docent contra Rodriq. & alios apud Perez disp. 40. sect. 3. Ratio est, quia Tridentinum in Parocho non exigit Sacerdotium.

Infertur quarto, validum esse matrimonium, cui assistit Parochus, non solum interdictus, cui prohibitum est assistere matrimonio, aut suspensus, aut irregularis, aut excommunicatus toleratus (quod communiter docent) sed etiam cui assistit, vel dat licentiam assistendi Parochus excommunicatus non toleratus; ut communiter docent contra Avilam 2. part. de Censuris disp. 3. dub. 1. Ratio est, quia excommunicatus non toleratus invalide exercet solos actus jurisdictionis; at assistere matrimonio non est actus jurisdictionis, ut diximus: Neque est actus jurisdictionis dare licentiam assistendi, ut fert communior, & probabilior sententia apud Perez disp. 40. sect. 4.; Etenim collatio talis licentiæ non est institutio Judicis, sicut dare licentiam audiendi confessiones; nec pertinet ad Superiorem, qua talem (ut dare licentiam administrandi Eucharistiam) sed est quædam designatio spectatoris, qua talis, ut possit testificari de matrimonio, facta ex ordinatione Tridentini, a quo immediate Sacerdos designatus accipit potestatem assistendi, & non a Parocho designante: Ad eum prorsus modum, quo quando Episcopus dat facultatem audiendi confessiones Sacerdoti, quem sibi Titius elegerit, in tali casu non Titius, sed Episcopus dat Sacerdoti immediate potestatem audiendi confessiones.

Hinc etiam est, quod Sacerdos degradatus possit etiam valide assistere

de

de licentia Parochi, ut docet Sayr. apud Bonac. punct. 8. Ratio est, quia versatur in materia matrimonii, quae favorabilis est, & quia Sacerdos degradatus adhuc est Sacerdos.

Addo ex Sanch. lib. 3. disp. 21., Hurt., Perez contra Pont., quod Parochus excommunicatus vitandus non solum valide, sed etiam licite assistere possit matrimonio, quando ad id requiritur. Ratio est, quia licitum est communicare cum excommunicato vitando, quando adest aliqua necessitas; In casu autem datur necessitas sufficiens; cum non possint Sponsi absque proprio Parocho contrahere; ergo possunt illius assistentiam requirere; atque adeo potest ille licite assistere, vel dare licentiam alteri assistendi. Non potest tamen benedicere Sponsos solemnibus benedictione; quia sine ulla necessitate communicaret cum fidelibus in divinis officiis; nulla enim datur necessitas benedictionis sollemnis; cum id non pertineat ad decentem celebrationem contractus matrimonialis; & ideo solet id subsequi multo tempore post contractum matrimonium. Quod si assisteret matrimonio sine ulla necessitate Parochus excommunicatus vitandus, peccaret quidem, sed irregularitatem non incurreret: quandoquidem non violaret censuram per exercitium Ordinis Sacri; non enim pertinet ad Ordinem Sacrum assistere matrimonio, cum possit sine Sacro Ordine Parochus assistere: Contra vero Irregularitatem incurreret, si benediceret solemniter Sponsos, quia benedictio sollemnis sacrum Ordinem requirit, ut notat Perez disp. 40. sect. 4.

X. Dubium est primo; An sit validum matrimonium contractum coram eo Sacerdote, qui licentiam assistendi aut obtinuit per dolum, aut extorsit per vim, ac metum gravem?

Respondeo cum Bonac. punct. 8.,

& Perez distinguendo; Est enim validum, si licentia extorta sit per metum gravem, necnon si per dolum, & mendacia versantia circa causam impulsivam: Est vero invalidum, si extorta sit licentia per dolum versantem circa causam finalem, seu circa substantiam rei; aut si concedens licentiam expresse dicat, se illam non concedere, deficiente veritate, seu non veris expressis. Probat per partes: Primo valida est licentia per metum extorta. Ita Sanch. lib. 3. disp. 38., Con., & alii communiter. Ratio est, quia, ut diximus, art. super., metus non tollit voluntarium, sed solum tollit plene voluntarium; Unde contractus metu celebrati sunt validi jure naturali, & positivo, quamvis sint rescindendi. Secundo, est valida licentia obtenta per dolum, & mendacia versantia circa causam impulsivam, Verbi gratia, si petatur licentia nomine alicujus Magnatis, ut eo intuitu facilius concedatur. Ratio est, quia ex Theologorum, & Jurisperitorum axiomate; cessante tantum causa impulsiva, non cessat dispositio. Addo cum Perez, esse etiam validam licentiam, si falso exponatur aliqua causa, quae sit impulsiva simul, & motiva, qua scilicet cessante, nullatenus licentia concederetur, dummodo vere detur etiam aliqua alia causa motiva, & finalis, propter quam licentia concedatur. Tertio, si falsa sit omnis causa finalis, seu motiva exposita, nulla est licentia. Ratio est, quia nihil est magis contrarium consensui concedentis licentiam, quam talis error, ex leg. *Si per errorem ff. de jurisdictione omnium Judicum*. Quarto; invalida est etiam licentia, quando concedens illam expresse dicit, se talem licentiam non dare, deficiente veritate cau-

causæ expositæ. Ratio est, quia expresse negatur consensus, deficiente veritate illius causæ, qualiscumque ea sit; & ideo rescripta Pontificum dolo obtenta sunt nulla; quia expresse dicunt: Veris expositis.

XI. Dubium est secundo; An valide assistat matrimonio Sacerdos post obtentam licentiam assistendi, sed antequam habeat notitiam talis licentiæ; verbi gratia, quia literæ expeditæ sunt, sed nondum pervenerunt?

Respondeo, quod invalide assisteret, ut communiter docent cum Sanch. lib. 3. disp. 36., Perez, & aliis contra Sylvest., & alios apud Suar. lib. 8. de legibus cap. 25. num. 10. Ratio est, quia, universim concessio, vel privilegium concessum privatæ personæ nihil potest operari, antequam habeatur ejus notitia ab ipso privilegiario; quicquid in contrarium doceat Sylvest. Et ratio a priori est, quia privilegium, & licentia sunt quædam donatio; Hæc autem non acquiritur ante acceptationem, nec acceptatur ante notitiam; ergo licentia, & privilegium ante notitiam, quod sint concessa, sunt invalida. Non nego, posse Principem Supremum aliquando concedere privilegium, quod vim suam habeat, antequam ad notitiam privilegiarii perveniat; sed intentio concedentis regulariter non est talis; nec verba privilegiorum hoc indicant; nec expedit ita concedi, ut notat Suar. loc. citat. Forte sola absolutio a censura potest operari suum effectum, antequam ad notitiam absolventis, facultas absolvendi perveniat; quia ad ejus validitatem non requiritur acceptatio, cum possit dari etiam invito. Notat hic Sanch. contra Perez, quod si licentia petatur a Parocho per Procuratorem, valida sit, si innotescat tantum Procuratori, & ab eo acceptetur.

Oppones; Quando per conjecturas

Pars VII.

constat hic, & nunc esse concessam licentiam, videtur, satis esse illa moralis præsumptio, & spes licentiæ concessæ.

Respondeo tamen, hoc communiter a Doctoribus negari; tum quia sæpe istæ conjecturæ fallunt; tum etiam quia lex Tridentini de assistentia Parochi, & testium stat veluti in possessione obligationis; ergo non potest sua possessione spoliari, donec constet de privilegio, & de licentia concessa; atque adeo non sufficit illa præsumptio, & spes licentiæ obtentæ.

Hinc est (ut communiter docent cum Sanch., & Con.) quod Sacerdos non debeat credere contrahentibus, si dicant, se habere licentiam a Parocho, ut possint coram illo contrahere, donec certa signa afferant, aut nisi sint magnæ fidei Personæ graves, & probæ. Ratio est, tum quia requiritur ad hoc certitudo moralis; tum etiam, quia universim in iis, quæ spectant ad externam gubernationem Ecclesiæ non debet credi testantibus in propria causa, ex *cap. Sicut, de Sententia excommunicationis*, ubi dicitur: Non esse credendum Excommunicato dicenti se esse absolutum.

XII. Dubium est tertio; An valide assistat matrimonio, aut ad id delitentiam Parochus intrusus, seu qui errore tantum communi, sed sine titulo colorato æstimatur Parochus?

Respondeo, communiter Doctores docere cum Sanch. lib. 3. disp. 22. num. 49., quod gesta cujuscumque habentis jurisdictionem, puta Parochi, Confessarii, Judicis, necnon cujuscumque habentis officium publicum, puta Tabellionis, &c. sint valida, si is habeat titulum, seu officium vere collatum a legitimo Superiore, quamvis invalide ob aliquod impedimentum occultum; dummodo errore communi æstimetur, titulum, seu officium esse

N

se

fe illi valide collatum : Quod si communis error sine tali titulo colorato, seu putativo intercedat, gesta ejus sint invalida. Unde sequitur, quod si Parochus intrusus, seu qui errore communi existimatur Parochus, sine tali titulo accepto a suo Superiore assistat matrimonio, aut det alteri licentiam assistendi, tale matrimonium esset invalidum.

Ratio autem, quare quando habetur titulus coloratus cum errore communi, gesta sint valida in utroque foro, est, quia in tali casu aequitas, & benignitas juris postulat, ut a Superiore suppleatur defectus ob bonum commune, & publicam utilitatem, conferendo ei quodammodo actualem jurisdictionem ad singulos actus; dummodo tamen materia sit subiecta potestati humanae; Quod constat ex *leg. Barbarius Philippus ff. de Officio Pratoris*; ubi ob publicam utilitatem approbantur gesta Barbarii promoti a Populo Romano ad Praturam invalide ob impedimentum occultum servitutis: Et additur ibi ratio; quia scilicet Populus Romanus poterat etiam servo illam potestatem conferre: Et idem statuitur in jure Canonico *cap. Infamis 3. quest. 7.* Aliter magna perturbatio sequeretur in Republica. Additque Sanch., satis esse, quod probabiliter is habeat titulum coloratum, seu apparentem: Verbi gratia, satis est ad validitatem confessionis dari opinionem probabilem, quod Sacerdos habuerit facultatem absolvendi; vel dari opinionem probabilem ex auctoritate Doctorum, quod possit absolvere a reservatis. Ratio est, quia, cum licitum sit operari ex opinione probabili, si absolutiones datae a tali confessario essent irritae propter impedimentum occultum, eadem sequerentur incommoda in Republica.

Si vero solum adsit error communis, quod aliquis, verbi gratia, sit

Parochus, vel Confessarius, vel Judex, & non adsit titulus coloratus, seu non adsit opinio, ne probabilis quidem, quod tale munus a legitimo Superiore ille acceperit, communius a Doctoribus reputantur gesta hujus invalida; nec oppositam sententiam existimat probabilem Sanch. loc. cit. Ratio est, quia tam in *leg. laud. Barbarius*, quam in *cap. Infamis* expresse dicitur, ideo gesta valere, quia praeter errorem communem intercessit titulus coloratus, seu auctoritas legitimi Superioris, qui conferre poterat jurisdictionem, quae propter impedimentum occultum deficiebat.

His tamen non obstantibus, Dian. part. 3. tract. 4. resol. 122., & part. 8. tract. 1. resol. 94. docet cum Pont. Molfes., & Joan. Sanch. valere in utroque foro gesta Parochi, Judicis, Confessarii, Tabellionis, &c. etiamsi solus error communis sine titulo colorato intercedat; Unde docet, validum esse matrimonium, cui Parochus intrusus assistit, etiamsi a contrahentibus sciatur, non esse vera Parochum, illum, qui communiter ab aliis Parochis existimatur. Ratio est, quia eadem inconvenientia sequerentur in Republica, si acta istorum essent invalida, sive titulus coloratus annectatur errori communi, sive non annectatur: ergo eadem dispositio legis debet esse utrobique; atque adeo ex aequitate, & benignitate juris asserendum, utrobique suppleri defectum, qui a potestate humana suppleri potest.

XIII. Dubium est quarto; An testes, coram quibus celebratur matrimonium, debeant esse omni exceptione majores?

Respondeo cum communi negative; etenim Tridentinum nullas qualitates in testibus requirit; aliter possent multa matrimonia revocari in dubium, praesertim in Pagis; ubi plerum-

rumque ignoratur, quinam sint testes omni exceptione majores. Proinde possunt esse testes in casu nostro, etiam Fœminæ, Parentes, Infames, excommunicati, Infideles, Inviti, ac Repugnantes; dummodo habeant usum rationis, & percipiant quid agitur, ita ut possint illud postea testari. Suppleret enim defectum testimonii auctoritas Parochi.

XIV. Rogabis hic; Si revalidandum sit matrimonium privatim sine Parocho, & testibus, propter impedimentum occultum, quod probari non possit per duos testes omni exceptione majores, juxta dicta num. 7., quinam consensus requiritur? Et num debeat utrique conjugum cognitum esse impedimentum dirimens, & invaliditas matrimonii contracti, ut possit revalidari?

Respondeo, in tali casu curandum esse, ut uterque conjux ponat consensum absolutum, cum non sufficiat conditionatum. Unde non sufficit, quod alter dicat; Si non nupsissem tecum, ita te diligo, ut tecum nubere; sed uterque dicere debet: Volo tecum nubere, etiam si hætenus non nupsissem, aut forte invalide nupsissem, ut notat Sanch. lib. 2. disp. 35. Quando autem periculum est, quod conjux ignarus impedimenti, ac nullitatis matrimonii nollit illud convalidare, ex quo scandalum oriretur, præsertim si adesset proles, non est necesse, ut illi impedimentum, & nullitas matrimonii detegatur. Neque obstat, quod consensus, qui de novo poneretur, procederet ex errore, & ignorantia illius nullitatis, & quod nollit ille contrahere iterum, si notitiam haberet talis nullitatis. Nam hic error non esset circa substantiam Matrimonii, seu circa personam, sed circa qualitates, cum sit solum error juris, quatenus ille putat, se matrimonio ligatum, cum non

sit; Consensus autem procedens ex errore circa qualitates sufficit ad valorem matrimonii. Sic qui contrahit cum Berta, quam credit ditissimam, cum sit pauperrima, valide contrahit, quamvis non contraxisset, si nota fuisset talis paupertas.

Quando tamen, nec infamia, nec scandalum, aut quid simile sequeretur, si detegeretur utrique conjugum nullitas præteriti matrimonii, utique detegenda esset, ut docent communius apud eundem Sanch. lib. 2. disp. 36.

ARTICULUS V.

De Consensu clandestino secundum quid.

- I. Peccat graviter, qui sine Episcopi dispensatione, omissis denunciationibus contrahit matrimonium. Sed hoc non est invalidum.
- II. Quas ob causas omitti possunt denunciationes?
- III. Impedimentum occultum revelandum est, quamvis probari non possit.
- IV. Contrahentes, qui aliquo impedimento occulto laborant, vel tenentur desistere a matrimonio, vel illud, etiam cum propria infamia, revelare, si alter desistere nolit.
- V. Si habens impedimentum occultum sine magno scandalo desistere non possit, quid faciat?
- VI. Omittere benedictionem nuptialem ante consummationem matrimonii, num sit mortale; aut saltem veniale?

I. **N**otavimus articulo super. dici consensum secundum quid clandestinum, quando habetur contractus matrimonialis absque præviis proclamationibus.

Quæritur nunc primo; An sit in-

N 2 va-